



C

99

40

6 210

Ludovicus a. Lochau  
possedit hunc librum.

40

Ioan: Brustaph:  
Vlminstrator  
Spes seruare solet, sublata  
forte secunda  
spe sola dolor spes superesse  
sinit.

Script. Rom. in Octavo

N. 40.

II. 2, 1 80.

M. TULLI.  
**CICERONIS**  
PRO LEGE M.A.  
NILIA AD POPV.  
LVM ORA-  
TIO.

STUDIOSAE IVVENTVTI SEPA-  
*ratis excusa.*



COLONIAE AGRIPPINAE,  
In Officina Birckmannica sumptibus  
Arnold. Mylij,  
ANNO cI. I. LXXXVI.



M. T. CICERONIS  
PRO LEGE MANILIA  
AD POPVLVM O.  
ratio.



VANQVAM mihi semper frequens  
cōspectus vester multò iucūdissimus,  
hic aut̄ locus ad agēdū amplissimus,  
ad dicendum ornatissimus est visus  
Quirites: tamen hoc aditu laudis, q̄  
semper optimo cuiq; maximè patuit, non me à me vo-  
luntas, sed meæ vitæ rationes ab ineunte ætate suscepæ  
prohibuerunt. Nam quum anteā per ætatem nondum  
huius autoritatem loci contingere auderem, statue-  
remq; nihil huc, nisi perfectū ingenio, elaboratum in-  
dustria, afferri oportere: omne meum tempus amico-  
rum temporibus transmittendum putavi. Ita neḡ hic  
locus vacuus vnquam fuit ab ijs, qui vestram causam  
defenderent, & meus labor in priuatorum periculis  
castè, integre q̄ versatus, ex vestro iudicio fructum est  
amplissimum consequutus. Nam quum propter dilati-  
onem commitiorum ter Prætor primus centuris cunctis  
renuntiatus sum: facile intellexi Quirites, & quid de  
me iudicaretis, & quid alijs præscriberetis. Nunc quī  
& autoritat̄ in me tantum sit, quantum vos hono-  
ribus mandandum esse voluistis: & ad agendum facul-  
tatis tātum, quantum homini vigilanti ex forensi usu  
propè quotidiana dicendi exercitatio potuit afferre:  
certè & si quid etiam dicendo consequi possum, ijs

## ORATIO CICERONIS

ostendam potissimum, qui ei quoque rei fructum suo iudicio tribuendum esse censuerunt. Atque illud in primis mihi latandum iure esse video, quod in hac insolita mihi ex hoc loco ratione dicendi, causa talis oblatæ est, in qua oratio nemini deesse potest. Dicendum est enim de Cn. Pompei singulari, eximiaque virtute: huius autem orationis difficilius est exitum, quam principium inuenire. Itaq; mihi non tam copia, quam modus in dicendo querendus est. Atq; ut inde oratio mea proficiatur, unde hec omnis causa dicitur, bellum graue, & pericolosum vestris vectigalibus atq; socijs, à duobus potentissimis regibus infectur, Mithridate, & Tigrane: quorum alter relictus, alter lacepsitus, occasionem sibi ad occupandam Asiam oblatam esse arbitratur, & quibus Romanis honestissimis viris afferuntur ex Asia quotidie literæ. quorum magnares aguntur in vestris vectigalibus exercēdis occupatæ: qui ad me pro necessitudine, quæ mihi est cum illo ordine, causam Reipub. periculaq; rerum suarum detulerunt: Bityniæ, quæ nunc vestra prouincia est, vicos exustos esse complures: regnum Ariobarzanis, quod finitimum est vestris vectigalib. totum esse in hostium potestate: Lucullum magnis rebus gestis, ab eo bello discedere: huic qui succurrerit, non satis esse paratum ad tantum bellum administrandum: unum ab omnibus socijs, & ciuib; ad id bellum imperatorem deposci, atque excepti: eundem hunc unum ab hostibus metui, præterea neminem. Causa quæ sit videtis: nunc quid agendum sit considerare. Primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de Imperatore diligendo esse

## PRO LEGE MANILIA.

esse dicendum. Genus est enim eiusmodi, quod maximè vestros animos excitare, atque inflammare debet. agitur enim salus sociorum, atque amicorum: pro qua multa maiores vestri magna, et graui a bella gesserūt: Aguntur certissima populi Romani vectigalia, & maxima: quibus amissis, & pacis ornamenta, & subsidia belli requiretis: aguntur bona multorum ciuium, quibus est à vobis & imperatoribus reipub. consulendum. Et quoniam semper appetentes gloriae præter ceteras gentes, atque audi laudis suistis, delenda est vobis illa macula Mithridatico bello superiore, quæ penitus iam insedit, atque inueterauit in populi Romani nomine: quod is, qui vna die tota Asia, tot in ciuitatibus, uno nuntio, atque vna literarum significacione ciues Rom. necandos, trucidandosq[ue] denotauit, non modò adhuc pœnam nullam suo dignam scelere suscepit, sed ab illo tempore annum iam tertium & vigesimum regnat, & ita regnat, vt se non Ponto, neque Cappadociæ latebris occultare velit, sed emergere è patrio regno, atque in vestris vectigalibus, hoc est, in Asie luce versari. Etenim adhuc ita vestri cum illo rege contèderunt imperatores, vt ab illo insignia victoriae, non victoriā reportarent. Triumphauit L. Sylla, triumphauit L. Murena de Mithridate, duo fortissimi viri, & summi imperatores: sed ita triumpharunt, ut ille pulsus, superatusq[ue] regnaret. Veruntamen illos imperatoribus laus est tribuenda, quod egerunt: venia danda, quod reliquerunt: propterea, quod ab eo bello Syllam in Italiam Respub. Murenam Sylla resuocauit. Mithridates autem omne reliquum tempus

## ORATIO CICERONIS

non ad obliuionem veteris belli, sed ad comparationem  
noui contulit. qui posteaquam maximas ædificasset, or-  
nasset quod classes, exercitusque permagnos, quibuscunque  
ex gentibus potuisset, comparasset, Bosphoranis finiti-  
mis suis bellum inferre simulasset: usque in Hispaniam  
legatos Ecbatanis misit ad eos duces, quibus cum tum  
bellum gerebamus: ut, quum duobus in locis disiunctissi-  
mis, maximeque diuersis, uno consilio, ab vnis hostium  
copijs bellum terra marique gereretur: vos ancipiti con-  
tentione distracti de imperio dimicaretis. Sed tamen  
alterius partis periculum Sertorianæ, atque Hispanien-  
sis, quæ multò plus firmamenti, ac roboris habebat, Cn.  
Pompeij diuino consilio ac singulari virtute depulsum  
est. In altera, parte ita res à L. Lucullo summo viro est  
administrata, vt initia illa gestarum rerum magna,  
atque præclara, non fælicitati eius, sed virtuti: hæc au-  
tem extrema, quæ nuper acciderunt, non culpæ, sed  
fortuna tribuenda esse videantur. Sed de Lucullo di-  
cam alio loco, & ita, dicam Quirites, vt neque vera  
lausei detracta oratione nostra, neque falsa afficta esse  
videatur. Sed pro vestri imperij dignitate, atque gloria,  
(quoniam is est exorsus orationis meæ) videte quæ vo-  
bis animum suscipiendum putetis. Maiores vestris aperie-  
mercatoribus ac nauiculatoribus iniuriosius tractatis,  
bella gesserunt: vos tot ciuium Roman. millibus, uno  
nuntio, atque uno tempore necatis, quo tandem animo  
esse debetis? legati quod erat appellati superbius, Corin-  
thum patres vestri totius Græciæ lumē extinctum esse  
voluerunt: vos eum regem inultum esse patiemini, qui  
legatum populi Romani consularem, vinculis, ac ver-  
beribus

## PRO LEGE MANILIA.

b̄eribus, atq; omni supplicio excruciatum necauit? illi libertatem ciuium Roman. imminutam non tulerunt: vos vitam ereptam negligetis? ius legationis verbo violatum illi persequuti sunt: vos legatum populi Rom. omni supplicio imperfectum, inultum relinquatis? vide te, ne, vt illis pulcherrimum fuit, tantam nobis imperij gloriam relinquere: sic vobis turpis simū sit, illud, quod accepistis, tueri & conseruare non posse, Quid, quod salus sociorum summum in periculum, ac discriminem vocatur? regno expulsus est Ariobarzanes rex, socius populi, Rom. atq; amicus: imminent duo reges toti Asiae, non solum vobis inimicissimi, sed etiam vestris socijs, atq; amicis. Ciuitates autem omneis, cuncta Asia, atque Gracia, vestrum auxilium expectare propter periculi magnitudinem coguntur. Imperatorem à vobis certum depositere, quum præsertim vos alium miseritis, neq; audent, neq; se id facere summo sine periculo posse arbitrantur. vident & sentiunt hoc idem, quod & vos, vnum virum esse, in quo summa sint omnia: & eum propè esse (quo etiam carent agrius) cuius aduentu ipso, atq; nomine, tametsi ille ad maritimum bellum venerit, tamen impetus hostium repressos esse intelligunt, ac retardatos. Hi vos, quoniam liberè loqui non licet, tacitè rogant, vt se quoq; sicut ceterarum prouinciarum socios, dignos existimetis, quorum salutem tali viro commendetis. atque hoc etiam magis quam ceteros: quod eiusmodi in prouinciam homines cum imperio mittimus, vt, etiam si ab hoste defendant, tamen ipsorum aduentus in urbes sociorum non multum ab hostili expugnatione differant. Hunc

A. 4.

audiens.

## ORATIO CICERONIS

audiebant antea nunc præsentem vident, tantatatem-  
perantia, tanta mansuetudine, tanta humanitate: ut  
ij beatissimi esse videantur, apud quos ille diutissimè  
commoratur. Quare, si propter socios nulla ipsi iniu-  
ria laceſſiti maiores vestri cum Antiocho, cum Philip-  
po, cum Aetholis, cum Pœnis bella gesserunt: quanto  
vos studio conuenit iniurijs prouocatos, sociorum salu-  
tem vñacū imperij vestri dignitate defendere? Præser-  
tim cum de vestris maximis vectigalibus agatur, nam  
ceterarum prouinciarum vectigalia Quirites tanta  
sunt, vt his ad ipsas prouincias tutandas vix contenti  
esse possimus. Asia vero tam opima est, & fertilis, &  
& ubertate agrorum, & varietate fructuum, & ma-  
gnitudine passionis, & multitudine earum rerum, quæ  
exportantur, facile omnibus terris antecellat. Itaque  
haec vobis prouincia Quirites, si & belli utilitatem, &  
pacis dignitatem sustinere vultis, non modò à calamiti-  
tate, sed etiam à metu calamitatis est defendenda. Nā  
ceteris in rebus, cum venit calamitas, tū detrimentum  
accipitur; at in vectigalibus, non solum aduentus mali,  
sed etiam metus ipse affert calamitatem. nam cum ho-  
stium copia non longè absunt, etiam si irruptio facta  
nulla sit, tamen pecora relinquentur, agricultura de-  
seritur, mercatorum nauigatio cōquiescit. Ita neq; ex  
portu, neque ex decumis, neque ex scriptura vectigal  
conseruari potest. Quare sāpe totius anni fructus uno  
rumore periculi, atque uno belli terrore amittitur.  
Quo tandem animo esse existimatis aut eos, qui vecti-  
gala vobis pensitant: aut eos, qui exercent, atque exi-  
gunt: cum duo reges cum maximis copijs propè ad-  
sint:

## PRO LEGE MANILIA.

sint: cum una excursio equitatus per breve tempore totius anni vectigal auferre possit: cum publicani familiias maximas, quas in salinis habent, quas in agris, quas in portubus, atq; custodijs, magnopere se habere arbitrentur? putatisne, vos illis rebus frui posse, nisi eos, qui vobis fructuosi sunt, conservaueritis, non solum (ut antea dixi) calamitate, sed etiam calamitatibus formidine liberatos? Ac ne illud quidem vobis negligēdum est, quod mihi ego extremum proposueram. quū essem de belligenere dicturus, quod ad multorum bona ciuum Rom. pertinet, quorum vobis vestra sapientia Quirites habenda est ratio diligenter. Nam & publicani, homines & honestissimi, & ornatissimi, suas rationes, & copias in illam prouinciam contulerunt, quorum ipsorum per se res, & fortuna vobis cura esse debent. Etenim si vectigalia neruos esse reipub. semper duximus: eum certè ordinem, qui exercet illa, firmamentum ceterorum ordinum recte esse dicemus. Deinde ceteris ex ordinibus homines gnaui, & industrijs partim in Asia negotiantur, quibus vos absentibus consule re debetis: partim eorum, in ea prouincia pecunias magnas collocatas habent. Erit igitur humanitatis vestra magnum eorum ciuum numerum calamitate prohibere: sapientiae, videre, multorum ciuum calamitatem à repub. sciunt etiam esse non posse. Etenim illud primum parui refert, vos publicanis amissa vectigalia postea viae recuperare. Neg, enim iisdem redimendi facultas erit, propter calamitatē, neg, alijs volutas propter timorem: deinde, quod nos eadem Asia atq; idem iste Mithridates initio belli Asiatici docuit, id certe

A 5 calami

## ORATIO CICERONIS.

calamitate docti memoriaretinere debemus . Nam  
tum, quum in Asias magnas permulti amiserunt, sc̄i  
mus Romæ solutione impedit a fidem concidisse . non e-  
nim possunt vna in ciuitate, multi rem , atq; fortunas  
amittere, vt non plureis secum in eandem calamitatē  
trahant. à quo periculo prohibete rem publicam : &  
mihi credite id, quod ipsi videtis , hæc fides , atq; hæc  
ratio pecuniarum, quæ Romæ, quæ in foro versatur, im-  
plicita est cum illis pecunijs Asiaticis , & cohæret: rue-  
re illa non possunt, vt hæc non eodem labefactat amotu  
concidant. Quare videte, num dubitandum vobis fit,  
omni studio ad id bellum incumbere , in quo gloria no-  
minis vestri. salus sociorum, vectigalia maxima, fortu-  
na plurimorum ciuium cum repub, defenduntur. Quo-  
niam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca  
dicam. Potest enim hoc dici, belligenus esse ita necessa-  
rium, vt sit gerendū: non esse ita magnum, vt sit, per-  
timeſcendum. In quo maximè laborandum est , ne for-  
tè à vobis, quæ diligentissimè prouidenda sunt, contem-  
nenda esse videantur. Atq; vt omnes intelligant, me L.  
Lucullo tantum impertire laudis , quantum forti viro  
& sapientissimo homini , & magno imperatori debea-  
tur: dico , eius aduentu maximas Mithridatis copias  
omnibus rebus ornat as atque instructas , esse deletas ,  
urbemq; Asie clarissimam, nobisq; amicissimam Cyzi-  
cenorum obfessam esse ab ipso rege maxima multitudi-  
ne, & oppugnatam vehementissimè: quam L. Lucul-  
lus virtute, assiduitate , consilio, summis obsidionis pe-  
riculis liberavit . Ab eodem imperatore classem ma-  
gnam & ornatam, quæ ducibus Sertorianis ad Italiam  
studia

## PRO LEGE MANILIA.

studio inflammatu raperetur, superat am esse atq; da-  
pressam: magnas hostium prætereà copias multis præ-  
lijs esse delatas, patefactumque nostris legionibus esse  
Pontum, qui antè populo Rom. ex omni aditu clausus  
esset: Sinopen, atq; Amisum, quibus in oppidis erant  
domicilia regis, omnibus rebus ornata, atq; referta, cæ-  
terasq; vrbes Ponti, & Cappadociæ permultas, uno  
aditu, atq; aduentu esse captas: regem spoliatum re-  
gno patrio, atque aucto, ad alios se reges, atque alias  
gentes supplicem contulisse: atq; hæc omnia saluis po-  
puli Rom. socijs, atq; integris vectigalibus esse gesta.  
Satis opinor hoc esse laudis: atq; ita reputo, vt hoc vos  
intelligatis, à nullo istorum, qui huic obtrectant legi,  
atq; causæ, L. Lucullum similiter ex hoc loco esse lau-  
datum. Requiritur fortasse nunc, quemadmodum, cū  
hac ita sint, reliquum possit esse magnum bellum. Co-  
gnoscite Quirites: non enim sine causa queri videtur.  
Primum ex suo regno sic Mithridates profugit, vt ex  
eodem Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur:  
quam prædicat in fuga fratris sui membra in his locis,  
quæ se parens persequeretur, dissipauisse, vt eorum col-  
lectio dispersa, mœrorque patrius, celeritatem perse-  
quendi retardaret: sic Mithridates fugiēs, maximam  
vim auri, atq; argenti pulcherrimarumq; rerum om-  
nium, quas & à maioribus acceperat, & ipse bello su-  
periore ex tota Asia direptas in suum regnum cōgesse-  
rat, in Ponto omnem reliquit. Hæc dum nostri colli-  
gunt omnia diligentius, rex ipse è manibus effugit. Ita  
illum in persequendi studio mœror, hos latitiaretar-  
davit: hunc in illo timore, & fuga, Tigranes rex Ar-  
meniæ

## ORATIO CICERONIS.

menius excepit, diffidentemq; rebus suis confirmauit,  
& afflictum erexit, perditumq; recreauit. Cuius in re-  
gnum posteaquam L. Lucullus cum exercitu venit, plu-  
res etiam gentes contra imperatorem nostrum conci-  
tate sunt. erat enim metus iniectus ijs nationibus, quas  
nunquam populus Rom. neque lacestadas bello, neque  
tentandas putauit. Erat etiam aliagrauis, atq; vche-  
mens opinio, quæ per animos gentium barbararum  
peruaserat, fani locupletissimi & religiosissimi diripi-  
endi causa in eas oras nostrum exercitum esse addu-  
ctum. Ita nationes multæ, atq; magna nouo quodam  
terrore ac metu concitabantur. Noster autem exerci-  
tus, et si vrbē ex Tigranis regno ceperat, & prælijs vsus  
erat secundis, tamen nimia longinquitate locorum, ac  
desiderio suorum commouebatur. Hic iam plura non  
dicam. Fuit enim illud extremum, vt ex his locis à mi-  
litibus nostris redditus magis maturus, quam processus  
longior quereretur. Mithridates autem, & suam  
manum iam confirmarat: & eorum, qui se ex eius regno  
collegerant, & magnis aduentitijis multorum regum,  
& nationum copijs iuuabatur. Hoc iam fere sic fieri so-  
lere accepimus, vt regum afflictæ fortunæ facile multo  
rum opes alliciant ad misericordiam. maximeq; eorū  
qui aut reges sunt, aut viuunt in regno, vt regale ijs no-  
men magnum, & sanctum esse videatur. Itaq; tantū  
victus efficere potuit, quātum incolmis nunquam est  
ausus optare. nam quum se in regnum recepisset suum,  
non fuit eo contentus, quod ei præter spē acciderat, vt  
illam, posteaquam pulsus erat, terram vñquam attin-  
geret, sed in exercitum vestrum clarum atq; victorem  
impetum

## PRO LEGE MANILIA.

impetum fecit. Sinite hoc loco Quirites, sicut poëtæ solent, qui res Romanas scribunt, præterire me nostrā calamitatem, quæ tantæ fuit, vt eam ad aures L. Luculli non ex prælio nuncius, sed ex sermone rumor asserret. Hic in ipso illo malo, grauissimaq; belli offensione L. Lucullus, qui tamen aliqua ex parte ijs incommodis mederi fortasse potuisset, vestro iussu coactus, quod imperij diuturnitat modum statuendum veteri exemplo putauistis, partim militum, qui iam stipendijs confectis erant, dimisit: partim Glabroni tradidit. Multa prætereo consulto, sed ea vos cōiectura per spicitis quantum illud bellum futurum putetis, quod coniungant reges potentissimi, renouent agit at anationes, suscipiant integræ gentes, nouus imperator vester accipiat vetere expulso exercitu. Satis mihi multa verba fecisse videor, quare hoc bellum esset genere ipso necessarium, magnitudine periculosum: restat vt de Imperatore ad id bellum diligendo, ac tantis rebus præficiendo dicendum esse videatur. Utinam Quirites virorum fortium atq; innocentium copiam tantam haberetis: vt hæc vobis deliberatio difficultis esset, quem nam potissimum tantis rebus, ac tanto bello præficiendum putaretis. Nunc verò quum sit unus Cn. Pompeius, qui non modo eorum hominum, qui nunc sunt, gloriam, sed etiam antiquitatis memoriam, virtute superarit: quæres est, quæ cuiusquam animum in hac causa dubium facere possit? Ego enim sic existimo, in summo imperatore quatuor has res inesse oportere: scientiam rei militaris, virtutem, authoritatem, fælicitatem. Quis igitur hoc homine scientior unquam

## ORATIO CICERONIS.

quam aut fuit, aut esse debuit? qui è ludo, atq; pueri-  
tiae disciplina, bello maximo, atq; acerrimis hostibus,  
ad patres exercitum, atq; in militiae disciplinam pro-  
fectus est: qui extrema pueritia miles fuit summi im-  
peratoris: in eunte adolescentia maximi ipse exercitus  
imperator: qui sapienter cum hoste conflixit, quam quis-  
quam cū inimico concertavit: plura bella gessit, quam  
cateri legerunt: plureis prouincias confecit, quam oīij  
concupiuerunt: cuius adolescentia ad scientiam rei mi-  
litaris non alienis praeceptis, sed suis imperijs: nō offen-  
sionibus belli, sed victorij: non stipendijs, sed trium-  
phis est traducta. Quod deniq; genus belli esse potest,  
in quo illum non exercuerit fortuna reipublicæ? Ciui-  
le, Africanum, Transalpinum, Hispaniense, mistum ex  
ciuitatibus, atque ex bellicosissimis nationibus, seruile,  
nauale bellum, varia & diuersa genera & bellorum  
& hostium, non solum gesta ab hoc vno, sed etiam con-  
fecta, nullam rem esse declarant in usu militari posi-  
tam, quæ huius viri scientiam fugere possit. Iam vero  
virtuti Cn. Pompeij quæ potest par oratio inueniri?  
quid est, quod quisquam aut dignum illo, aut vobis no-  
num, aut cuiquam in auditum possit afferre? non enim  
illæ sunt sola virtutes imperatoriaæ, quæ vulgo existi-  
mantur, labor in negotijs, fortitudo in periculis, indu-  
stria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in  
prouidendo: quæ tanta sunt in hoc vno, quanta in om-  
nibus reliquis imperatoribus, quos aut vidimus, aut au-  
diuimus, non fuerunt. Testis est Italia, quam ille ipse  
victor L. Sylla huius virtute, & consilio, confessus est  
liberata. Testis est Sicilia, quam multis vndiq; cin-  
Et am

## PRO LEGE MANILIA.

Etiam periculis, non terrore belli, sed celeritate consilijs explicauit. Testis est Africa, quæ magnis oppressa hostiis copijs, eorum ipsorum sanguine redundauit. Testis est Gallia, per quam legionibus nostris in Hispaniam iter, Gallorum internecione patefactum est. Testis est Hispania, quæ sapissimè plurimos hostes ab hoc superatos postratosq; confexit. Testis est iterum, & sepius Italia: quæ cùm seruile bello tetro, periculosog; premeretur, ab hoc auxilium absente expetiuit: quod bellum expectatione Pompeij attenuatum, atq; immunitum est, aduentu sublatum, ac sepultum. Testes verò iā omnes oræ, atq; omnes exteragentes ac nationes: deniq; maria omnia, tum vniuersa, tum in singulis oris omnes sinus atq; portus. Quis enim totomarí locus per hos annos aut tam firmum habuit praedium, vt tutus esset? aut tam abditus, vt lateret? quis nauigauit, qui non se aut mortis aut seruitutis periculo committeret, quum aut hyeme, aut reserto prædonum marinauigaret? Hoc tantum bellum, tam turpe, tam vetus, tam latè diuisum, atque dispersum, quis vñ quam arbitraretur, aut ab omnibus imperatoribus vno anno, aut omnibus annis ab uno imperatore confici posse? quam prouinciam tenuistis à prædonibus liberant per hosce annos? quod vectigal vobis tutum fuit? quem socium defendistis? cui præsidio classibus vestris fuistis? quam multas aut metu relictas, aut à prædonibus captas vrbes esse sociorum? sed quid ego longinqua commemoro? fuit hoc quondam, fuit proprium populi Rom. longè à domo bellare, & propugnaculis imperij, sociorum fortunas, non suæ tacta defendere. Socijs vestris

ego

## ORATIO CICERONIS.

ego mare clausum per hosce annos dicam fuisse? quum  
exercitus nostri Brundusio nunquam nisi summa hye-  
me transmiserunt. Quid, ad nos cum ab exteris natio-  
nibus venirent, captos querar? quū legati populi Rom.  
redempti sint, mercatoribus tutum mare tum fuisse  
dicam, quum duodecim secures: in prædonum potestæ-  
tem peruenient? quid aut Colophonem, aut Samum  
nobis!issimas vrbes, innumerabilesq; alias captas esse  
commemorem? cum vestros portus atque eos portus,  
quibus vitam & spiritum ducitis, in prædonum fuisse  
potestate sciatis? an verò ignoratis, portum Caietæ  
celeberrimum, atq; plenissimum nauium, inspectante  
Pratore, à prædonibus esse direptum? ex Miseno autē,  
eius ipsius liberos, qui cum prædonibus antea ibi bellum  
gesserat, à prædonibus esse sublatos? nam quid ego Ho-  
stiensē incommodum, atq; illam labem, atq; ignominia-  
m reip. querar? quum propè inspectantibus vobis, clas-  
sis ea, cui Consul populi Rom. præpositus esset, à prædo-  
nibus capta, atq; oppressa est. Proh dū immortales, tā  
tane vnius hominis incredibilis ac diuina virtus, tam  
breui tempore lucem afferre reipub. potuit? vt vos, qui  
modo ante ostium Tyberinum classem hostium videba-  
tis, iij nunc nullam intra oceani ostium prædonum nauē  
esse audiatis. Atq; haec qua celeritate gesta sint, quan-  
quā videtis tamē à me indicēdo prætereunda nō sunt.  
Quis enim vñquā, aut obeundi negotij, aut consequen-  
ti questus studio, tā breui tempore, tot loca adire, tan-  
tos cursus cōficere potuit, quam celeriter Cn. Pompeo  
duce belli impetus nauigauit? qui Siciliam adiit, Afri-  
cam exploravit, inde Sardiniam cum classe venit, non  
dum

## PRO LEGE MANILIA.

dum tempestiuo ad nauigandum mari , atq; hæc tria  
frumentaria subsidia reip. firmissimis præsidijis , classi-  
busq; muniuit , inde se quum in Italiam recepisset , dua-  
bus Hispanijs , & Gallia Cisalpina , præsidijis , ac naui-  
bus confirmata , missis item in oram Illirici maris , & in  
Achiam , omnemq; Græciam nauibus , Italiæ duomar-  
via maximis classibus , firmissimisq; præsidijis adorna-  
uit : ipse autē , vt à Brundusio profectus est , vnde quin-  
quagesimo die totam ad imperium populi Rom . Cili-  
ciam adiunxit , omnes qui vbiq; prædones fuerūt , par-  
tim capti , interfecti q; sunt , partim vnius huius impe-  
rio , ac potestati se dediderunt . Idem Cretensibus , cum  
ad eum vsg; in Pamphiliam legatos deprecatoresq;  
misissent , spem ditionis non ademit . obsidesq; impe-  
rauit . Ita tantum bellum , tam diuturnum , tam longè  
lateq; dispersum , quo bello omnis gentes , ac nationes  
premebantur . Cn. Pompeius extrema hyeme appara-  
uit , in eûte vere suscepit , media æstate confecit . Est hec  
diuina , atq; incredibilis virtus imperatoris . Quid ca-  
teræ , quas paulò antè commemorare cœperā , quantæ ,  
atq; quam multæ sunt ? non enim solum bellandi virtus  
in summo atque perfecto imperatore querenda est , sed  
multæ sunt artes eximiae , huius administræ , comitesq;  
virtutis . Ac primum quanta innocentia debent esse  
imperatores ? quanta deinde omnibus in rebus tempe-  
rantia ? quanta fide ? quanta felicitate , quanto inge-  
nio , quanta humanitate ? quæ breuiter , qualia sint  
in Cn . Pompeio , consideremus . summa enim sunt  
omnia Quirites : sed ea magis ex aliorum contentione ,  
quam ipsa per se cognosci , atque intelligi possunt .

B

Quem

## ORATIO CICERONIS

Quem enim possumus imperatorem aliquo in numero  
putare, cuius in exercitu veneant centuriatus, atque  
venierint? quid hunc hominem, magnum, aut amplum  
de Repub. cogitare, qui pecuniam ex ærario depromis-  
tam ad bellum administrandum, aut propter cupiditi-  
atem prouinciae magistratibus diuiferit, aut propter  
auaritiam Romæ in questu reliquerit? vestra admur-  
matio facit Quirites, ut agnoscere videamini, qui  
haec fecerint. Ego autem neminem nomino: quare i-  
rasci mihi nemo poterit, nisi qui antè de se voluerit cō-  
fiteri. Itaq; propter hanc auaritiam imperatorum,  
quantas calamitates, quo cung; ventum sit, nostri ex-  
ercitus ferant, quis ignorat? itinera, quæ per hosce an-  
nos in Italia per agros, atque oppida ciuium Roman.  
nostri imperatores fecerunt, recordamini: tum faci-  
lius statuetis, quid apud exteras nationes fieri existi-  
metis. Vtrum plures arbitramini per hosce annos mi-  
litum vestrorum armis hostium vrbes, an hybernis, socii  
orum ciuitates esse deletas? nego, enim potest exercitus  
is continere imperator, qui seipsum non continet: nego  
seuerus esse in iudicando, qui alios in se seueros esse iu-  
dices non vult. Hic miramur hunc hominem tantum  
excellere cæteris, cuius legiones sic in Asiam peruenie-  
runt, vt non modò manus tanti exercitus, sed ne vestio-  
gium quidem cuiquam pacato nocuisse dicatur? Iam  
vero quemadmodum milites hybernant, quotidie ser-  
mones, ac literæ p̄ rferuntur: non modò vt sumptum  
faciat in militem, nemini vis affertur: sed ne cui ienti  
quidem cuiquam permittitur. Hyemis enim, non auari-  
tia perfugium maiores nostri in sociorum, atq; amico-  
rum:

## PRO LEGE MANILIA.

rūtectis esse voluerunt. Age verò cæteris in rebus quæ  
li sit temperantia, considerate. Vnde illam tantam ce-  
leritatem, & tam incredibilem cursus initium puta-  
tis? nō enim illum eximia vis remigum, aut ars inaudi-  
ta quedam gubernandi, aut venti aliqui nouit am ce-  
leriter in ultimas terras pertulerunt. sed hæres, quæ  
cæteros remorari solent, non retardarunt. Non auari-  
tia ab instituto cursu ad prædam aliquam reuocauit,  
non libido ad voluptatem, non amœnitas ad delectati-  
onem, non nobilitas vrbis ad cognitionem, non deniq;  
labor ipse ad quietem postremò signa, & tabulas, cæ-  
teraq; ornamenta Gracorum oppidorum, quæ cæteri  
tollenda esse arbitrantur, ea sibi ille ne visenda quidem  
existimauit. Itaq; omnes quidem nunc in his locis Cn.  
Pompeium sicut aliquem non ex hac vrbis missum sed  
de cœlo lapsum intuētur: nunc deniq; incipiunt crede-  
re, fuisse homines Ro. hac quondam abstinentia, quod  
iam nationibus exteris incredibile, ac falsò memoriæ  
proditum videbatur. Nunc imperij nostri splendor illis  
gentibus lucet: nunc intelligunt, non sine causa maio-  
res suos tum, cùm, hac temperantia magistratus habe-  
bamus, seruire populo Rom. quām imperare alijs ma-  
luisse. Iam verò ita faciles aditus ad eum priuatorum,  
ita liberæ querimoniæ de aliorum iniurijs esse dicuntur,  
vt is, qui dignitate principibus excellit, facilitate par-  
infimis esse videatur. Iam, quantum consilio, quantum  
dicendi grauitate & copia valeat, in quo ipso inest  
quædam dignitas imperatoria, vos Quirites, hoc ipso  
in loco sèpè cognostis. Fidè verò enus inter socios quin  
tam existimari putatis? quam hostes omnium gentium

## ORATIO CICERONIS

sanctissimam esse iudicarint. Humanitate iam tanta est, ut difficile dictu sit, vtrum hostes magis virtutem eius pugnantes timuerint, an mansuetudinem victi dilexerint. Et quisquam dubitabit, quin huic tantum bellum hoc transmittendum sit? qui ad omnia vestra memoriæ bella confienda, diuino quodam consilio natus esse videatur. Et quoniam autoritas multum quoque in bellis administrandis, atque imperio militari valet: certè nemini dubium est, quine a in re ille idem ipse imperator plurimum possit. Vehementer autem pertinere ad bella administranda, quid hostes, quid socij de imperatoribus vestris existiment, quis ignorat? cum sciamus, homines in tantis rebus, ut aut contemnant, aut metuant, aut oderint, aut ament, opinione non minus famæ, quam aliqua certa ratione commoveri. Quod igitur nomen vñquam in orbeterrarum clarius fuit? cuius res gestæ pares? de quo homine vos, id quod maximè facit autoritatem, tanta & tam præclara iudicia fecistis? An verò usquam ullam esse oram tam desertam putatis, quò non illius diei fama peruaserit, cum vniuersus populus Rom. referto foro, repletisq; omnibus templis, ex quibus hic locus conspicere potest, vnum sibi ad commune omnium gentium bellum Cn. Pompeium imperatorem depoposcit? Itaque ut plura non dicam, neq; aliorū exemplis confirmem, quantum huius autoritas valeat in bello, ab eodem Cn. Pompeio omnium rerum egregiarum exempla sumantur, qui quo d.e à vobis maritimo bello præpositus est imperator, tanta repente vilitas an: onæ ex summa inopia, & caritate rei frumentariae cōsecuta est, vnius spe &

## PRO LEGE MANILIA:

ſpe & nomine, quantam vix ex summa uertate agro  
rum diuturna pax efficere potuiffet. Iam vero accepta  
in Ponto calamitate ex eo prælio, de quo vos paulo an-  
tè inuitus admonui, cum ſocii pertimuiffent, hostium  
opes, animi, creuiffent, cum ſatis firmum præſidium  
prouincia non haberet, amifeffetis Afiam Quirites, niſſ  
idipſum eius temporis diuinitus Cn. Pompeium ad eas  
regiones fortuna populi Rom. attuliffet. Huius ad-  
uentus, & Mithridatem inſolita inflammatum victo-  
ria continuuit, & Tigranem magnis copijs minitantem  
Asia retardauit. Et quisquam dubitabit, quid virtu-  
te profecturus fit, qui tantum authoritate profecerit?  
aut quam facile imperio, atque exercitu ſocios, & ve-  
ctigalia conſeruaturus fit, qui ipſo nomine, ac rumore  
defenderit? Age vero, illa res quam declarat eius-  
dem hominis apud hostes populi Romani autoritatem,  
quod ex locis tam longinquis, tam diuersis, tam breui  
tempore omnes vnde huic ſe dediderunt: quod Creten-  
ſium legati, cum in eorum iuſta noſter imperator, ex-  
ercitusque effet, ad Cn. Pompeium in ultimas propè ter-  
ras venerunt, eiique ferè omnes Cretensium ciuitates  
dedere velle dixerunt? Quid? idem ipſe Mithridates,  
nonne ad eundem Cn. Pompeium legatum uſq; in Hi-  
ſpaniam misit? eumque Pompeius legatum ſemper iudi-  
cauit: i; quibus ſemper erat moleſtum, ad eum potiſſi-  
mum eſſe miſſum ſpeculatorē, quam legatum iudicā-  
ri maluerunt. Potestis igitur iam constituere Quirites,  
hanc authoritatē multis poſtea reb. geſtis, magnisque ve-  
ſtris iudicij amplificatā, quantum apud illos reges, qua-  
tum apud exteris nationes, valituram eſſe existimetis

## ORATIO CICERONIS

Reliquum est ut de fœlicitate, quam præstare de seipso  
nemo potest, meminisse, & commemorare de altero pos-  
sumus. sicut æquum est homini de potestate deorum, ti-  
midè, & pauca dicamus. Ego enim sic existim, Ma-  
ximo, Marcello, Scipioni, Mario, & ceteris magnis im-  
peratoribus, non solum propter virtutem, sed etiam  
propter fortunam, sèpius imperia mandata, atq; ex-  
ercitus esse commissos. fuit enim profectò quibusdam  
summis viris quedam ad amplitudinem, & gloriam,  
et ad res magna benè gerendas diuinitus adiuncta for-  
tuna. De huius autem homini fœlicitate, quo de nunc  
agimus, hac ut ar moderatione duendi, non ut in illius  
potestate fortunam positam esse dicam, sed vi præterita  
~~nemissore~~ iqua sperare videamus: ne aut inuisa dij immortali us nostra oratio, aut ingratia esse videatur.  
Itaq; non sum prædicatus Quirites, quantas ille res  
domi, militie q; terra, mariq;ue, quantaque fœlicitate  
gesserit: ut eius semper voluntatibus non modò ciues  
assenserint, socij optemperarint, hostes obedierint, sed  
etiam venti, tempestatesq; obsecundarint. Hoc breuissi-  
mè dicam, neminem vñquam tam impudentem fu-  
isse, qui a dij immortali bus tot, & tantas restacitus  
auderet optare, quot, & quantas dy immortales ad  
Cn. Pompeium detulerunt. Quod vt illi proprium as-  
perpetuum sit, Quir. cum communis salutis atque im-  
peri, tum ipsius hominis causa, sicut ifacitis, velle, &  
optare debetis. Quare cum & bellum ita necessarium  
sit, vt negligi non possit: ita magnum, vt accuratissimè  
sit administrandum: & cum ei imperatorem præficere  
possitis, in quo sit eximia belli sciētia singularis virtus,  
clariss.

PRO LEGE MANILIA:

clariss. authoritas, egregia fortuna: dubitabitis Quir.  
quin hoc tantum boni, quod à dijs immortalibus obla-  
tum, & datum est, in remp. conseruandam, atq; am-  
plificandam conferatis? Quid si Romæ Cn. Pompeius  
priuatus esset hoc tempore, tamen ad tantum bellum is-  
erat diligendus, atq; mittendus. cum ad cæteras sum-  
mas vtilitates hæc quoq; oportunitas adiungatur, vt  
in his ipsis locis adsit, vt habeat exercitū, vt ab ijs, qui  
habēt, accipere statim possit: quid expectamus? aut cur  
non ducibus dijs immortalibus, eidem, cui cætera sum-  
ma cum salute Reipub. commissa sunt, hoc quoq; bellū  
regium committimus? At enim vir clarissimus reip. &  
vestris beneficijs amplissimis affectus Qu. Catulus, i-  
tem j; summis ornamentis honoris, fortunæ, virtutis, in-  
genij præditus, Qu. Hortensius ab hac ratione dissen-  
tiunt. Quorum ego authoritatem apud vos multis lo-  
cis plurimum valuisse, et valere oportere confiteor. Sed  
in hac causa, tametsi cognoscitis authoritates contra-  
rias fortissimorum virorum, & clarissimorum tamen  
omissis authoritatibus, ipsa rē, & ratione exquirere  
possimus veritatem. Atq; hoc facilius, quod ea omnia,  
qua adhuc à me dicta sunt, idem isti vera esse conce-  
dunt, & necessarium bellum esse, & magnum, & in  
vno Cn. Pompeio summa esse omnia. Quid igitur, ait  
Hortensius? si vni omnia tribuenda sunt, vnum dignissi-  
mum esse Pompeium: sed ad vnum tamen omnia de-  
ferri non oportere. Obsolevit iam ista oratio, re multo  
magis, quam verbis refutata. Nam tu idem Qu: Hor-  
tēsi multa protua summa copia ac singulari facultate  
dicendi, & in senatu contra virum fortem A. Gabini-

## ORATIO CICERONIS

um grauiter, ornateq; dixisti, quum is de uno imperatore cōtra prædones constituendo legem promulgasset,  
Et ex hoc ipso loco permulta idem contra legem verba fecisti. Quid tum per deos immortales, si plus apud populum Romanum authoritas tua, quam ipsius populi Romani salus, Et vera causa valuerit, hodie hanc gloriam, atque hoc orbis terræ imperium teneremus? antebitum imperiū esse hoc videbatur, quum Po. Rom. Legati, Prætores, Questoresq; capiebantur? quum ex omnibus prouincijs commeatu, Et priuato, Et publico prohibebamur? quum ita clausa erant nobis omnia maria, ut neq; priuatam rem maritimam, neq; publicam iam obire possemus? quæ ciuitas ante à vñquam fuit, nō dico Atheniensium, quæ satis latè quondam mare tenuisse dicitur; non Cartaginensium, qui permultum classe, maritimisq; rebus valuerunt: non Rhodiorum, quorum usq; ad nojiram memoriam disciplina naualis, Et gloria remansit: quæ ciuitas ante à vñquam tam tenuis, tā parua insula fuit, quæ non portus suos, et agros Et aliquam partem regionis, atq; oræ maritimæ per se ipsa defendere? At hercule aliquot annos cōtinuos ante legem Gabiniam ille populus Ro. cuius usq; ad nostram memoriam nomen inuita naualibus pugnis permanebat: magna, ac nullo maxima parte non modò vtilitatis, sed dignitatis atq; imperii caruit. Nos, quorum maiores Antiochium regem classe, Persemque superaverunt omnibus naualibus pugnis Carthaginenses homines in maritimis rebus exercitatiissimos paratiissimosq; vicerunt: iij nullo in loco iam prædonibus pare esse poteramus: nos quoq; qui ante à non modò Italiam tutam habemus.

PRO LEGE MANILIA.

habebamus, sed omneis socios in vltimis oris authoritate nostri imperij saluos præstare poteramus: tum cum in insula Delos tam procul à nobis, in Aegæo mari posit a, quod omneis vndeq; cum mercibus, atq; oneribus commeabant, referta diuitijs, parua sine mure nihil timebat: ijdem non modo prouincijs, atque oris Italiae maritimis, ac portibus nostris, sed etiam Appia iam via carebamus. Et his temporibus nō pudebat magistratus populi Romani in hunc ipsum locum ascende re, cum eum vobis maiores vestri exuuijs nauticis, & classium spolijs ornatum reliquissent. Bonote animo Qu. Hortensi populus Romanus, & cæteros, qui erant in eadem sententia dicere existimauit ea, quæ sentiebat: sed tamen in salute communi idem populus Rom. dolori suo maluit, quam authoritati vestra obtemperare. Itaque vna lex, unus vir, unus annus, non modo nos illa miseria ac turpitudine liberauit, sed etiam effecit, vt aliquando verè videremur omnibus gentibus ac nationibus terra mariq; imperare. Quod mihi etiam indignius videtur obtrectatum esse adhuc, Gabinio dicam? an Pompeio? an utrique? id quod est verius, ne legaretur A. Gabinius Cn. Pompeio expertenti ac postulanti, virum ille qui postulat legatum ad tantum bellum quem velit, idoneus non est, qui impetrat? cum cæteri ad expilando socios, diripiendasq; prouincias, quos voluerunt, legatos eduxerint? an ipse, cuius lege salus, ac dignitas populo Rom. atq; omnibus gentibus constituta est, expers esse debet gloriae eius imperatoris, atque eius exercitus, qui consilio ipsius, atque periculo est constitutus? An C. Falcidius,

B 5

Qu. Me-

## ORATIO CICERONIS.

Qu. Metellus, Qu. Cælius Latinensis, Cn. Lentulus,  
quos omnes honoris causa nomino, cum Tribuni pleb.  
fuisserent, anno proximo legati esse potuerunt? in hoc v-  
no Gabinio sunt tam diligentes? qui in hoc bello, quod  
lege Gabinia geritur, in hoc imperatore atque exerci-  
tu, quem per se ipse constituit, etiam præcipuo iure esse  
deberent. De quo legando spero Consules ad Senatum  
relatuos: qui si dubit abunt, aut grauabuntur, ego me  
profiteor relaturum: neq; me impedit Quirites ini-  
micum edictum, quo minus fretus vobis vestrum ius be-  
neficiumque defendam, neque præter intercessionem  
quicquam audiam. De qua (ut arbitror) isti ipsi qui  
minantur, etiam atque etiam qui id liceat, considera-  
bunt. Mea quidem sententia Quirites unus A. Gabi-  
nius belli maritimi, rerumque gestarum gloria Cn.  
Pompeio ascribitur, propterea quod alter vni id bel-  
lum suscipiendum vestris suffragijs detulit: alter dela-  
tum, susceptumq; confecit. Reliquum est ut de Qu.  
Catuli autoritate & sententia dicendum esse videa-  
tur. Qui cum ex vobis quæreret, si in uno Cn. Pom-  
peio omnia poneretis, si quid de eo factum esset, in quo  
spem essetis habituri, cepit magnum suæ virtutis fru-  
ctum, ac dignitatis, cum omnes propè una voce in eo  
ipso vos spem habituros esse dixistis. Etenim talis est  
vir, ut nulla restanta sit, ac tam difficilis, quam ille  
non & consilio regere, & integritate tueri, & virtu-  
te confidere possit. Sed in hoc ipso ab eo vehementissime  
dissentio, quod quod minus certa est hominum, ac minus  
diuturna vita, hoc magis Respub. dñ per deos immor-  
tales licet, frui debet summi hominis vita, atq; virtute.

At enim

## PRO LEGE MANILIA.

At enim nihil noui fiat contra exempla, atq; instituta  
maiorum. Non dico hoc loco, maiores nostros semper  
in pace consuetudini, in bello utilitati parauisse, sem-  
per ad nouos casus temporum, nouorum consiliorum  
rationes accommodasse: non dicam, duo bella maxima  
Punicum, & Hispaniense ab uno imperatore esse con-  
fecta, duas vrbes potentissimas, quæ huic imperio ma-  
xime minabantur, Carthaginem, atque Numantiam  
ab eodem Scipione esse deletas. non commemorabo,  
nuper ita vobis patribusq; vestris esse visum, vt in uno  
C. Mario spes imperij poneretur, vt idem cum Iugur-  
tha, idem cum Cimbris, idem cum Theutonis bellum  
administraret: in ipso Cn. Pompeio, in quo noui con-  
stitui nihil vult Qu. Catulus, quam multa sint noua  
summaq; Catuli voluntate, cōstituta, recordamini.  
Quid tam nouum quam adolescentulum priuatum,  
exercitum diffici Reipub. tempore conficer? confecit:  
huic præesse? præfuit: rem optimè ductu suo gerere? ges-  
sit. quid tam præter cōsuetudinem, quam homini per-  
adolescenti, cuius à Senatorio gradu etas longè abe-  
set, imperium, atque exercitum dari? Siciliam per-  
mitti atque Africam, bellumq; in ea administran-  
dum? fuit in his provincijs singulari innocentia, gra-  
uitate, virtute: bellum in Africa maximum confecit,  
victore exercitum deportauit. Quid tam inauditum,  
quam equitem Rom. triumphare: at eam quoque rem  
populus Rom. non modo vidit, sed etiam studio omni-  
visendum putauit. Quid tam inusitatum, quam ut  
cum duo consules clarissimi, fortissimiq; essent, eques  
Rom. ad bellum maximum formidolosissimumq; pro-  
consulē

## ORATIO CICERONIS.

consule mitteretur missus est. Quo quidem tempore,  
cum esset non nemo in Senatu, qui diceret, non opor-  
tere mitti hominem priuatum pro consule: L. Philip-  
pus dixisse dicitur, non se illum sua sententia pro con-  
sule, sed pro consulibus mittere. Tanta in eo Reip. bene-  
gerendæ spes constituebatur, ut duorum consulum mu-  
nus adolescentis virtuti committeretur. Quid tam sin-  
gulare, quam vt ex Senatus consulto legibus solutus,  
consul antè fieret, quam ullum alium magistratum per  
leges capere licuisset? quid tam incredibile, quam vt  
iterum eques Romanus ex Senatus consulto triumpha-  
ret? quæ in omnibus hominibus noua, post hominum  
memoriam constituta sunt, ea tam multa non sunt  
quam hæc quæ, in hoc uno homine videmus. Atque hæc  
tot exempla, tanta, ac tam noua, profecta sunt in eun-  
dem hominem à Qu. Catulo, atq; à cæterorum eius-  
dem dignitatis amplissimorum hominum autorita-  
te. Quare videant, ne sit periniquum & non ferendū  
illorum autoritatem de Cn. Pompeij dignitate à vo-  
bis comprobata semper esse, vestrum ab illis de eodem  
homine iudicium populique Roman. autoritatem im-  
probari: præsertim cum iam suo iure populus Rom. in  
hoc homine suam autoritatem, vel contra omnes, qui  
dissentient, possit defendere, propterea quod istis re-  
clamantibus vos unum illum ex omnibus delegistis, quæ  
bello prædonum præponeretis. Hoc si vos temerè fe-  
cistis, & Reip. parum, consuluitis: rectè isti studia  
vestra suis consilijs regere conantur. Sin autem vos  
plus tum in republica vidistis: vos his repugnantibus  
per vosmetipos dignitatem huic imperio, salutem orbi  
terrarum

PRO LEGE MANILIA,

terrarum attulisti, aliquando isti principes, & sibi,  
& ceteris, populi Romani vniuersi authoritatipareno-  
dum esse fateantur. Atque in hoc bello Asiatico, & re-  
gio, non solum militaris illa virtus, quae est in Cn. Pom-  
peio singularis, sed aliae quoque virtutes animi mul-  
tæ, & magnæ requiruntur. Difficile est in Asia, Ci-  
licia, Syria, regnisque exterarum nationum ita versa-  
ri vestrum imperatorem, ut nihil aliud quam de hoste  
ac laude cogitet. Deinde etiam, si qui sunt pudore ac  
temperantia moderatores, tamen eos tales propter  
multitudinem cupidorum hominum nemo arbitratur.  
Difficile est dictu Quirites, quanto in odio simus a-  
pud exteras nationes, propter eorum, quos ad eas hoc  
anno cum imperio misimus, iniurias, ac libidines.  
Quod enim fanum putatis in illis terris nostris magi-  
stratibus religiosum? quam ciuitatem sanctam? quam  
domum satis clausam ac munitam fuisse? vrbes iam  
locupletes, ac copiosæ requiruntur, quibus caussabelli  
propter diripiendi cupiditatem inferatur. Libenter  
hæc coram Quinto Catulo, & Quinto Hortensio dis-  
putarem summis & clarissimis viris. Nouerunt enim  
sociorum vulnera, vident eorum calamitates, queri-  
monias audiunt. Pro socijs vos contrahostes exerci-  
tum mittere putatis? an hostium simulatione contra  
socios, atque amicos? que ciuitas est in Asia, quæ non  
modo vnius imperatoris, aut legati, sed vnius tribunis  
militum animos, ac spem capere posse? Quare etiam  
si quem habetis, qui collatis signis exercitus regios su-  
perare posse videatur, tamen nisi erit idem, qui se à  
pecunijs sociorum, qui ab eorum coniugibus, ac liberis,  
qui

## ORATIO CICERONIS.

qui ab auro, Gaza quae regia, manus, oculos, animum  
cohibere possit : non erit idoneus, qui ab bellum Asiaticum,  
regiumq; mittatur . Ecquam putatis ciuitatem pacatam fuisse, quae locuples sit? ecquam esse locupletem,  
quaestis pacatae esse videatur? Ora maritima Quirites , Cn. Pompeium non solum propter rei  
militaris gloriam, sed etiam propter animi continen-  
tiam requisiuit . Videbat enim populus Romanus, non  
locupletari quotannis pecunia publica, prater paucos,  
neque eos quicquam assequi classium nomine, nisi ut  
detrimentis accipiendo maiora affici turpitudine vi-  
deremur . Nunc qua cupiditate homines, in prouincias,  
quibus iacturis, quibus conditionibus proficiantur,  
ignorant videlicet isti, qui ad vnum deferenda es-  
se omnia non arbitrantur. quasi verò Cn. Pompeium  
non cum suis virtutibus, tum etiam alienis vitis ma-  
gnum esse videamus . Quare nolite dubitare, quin  
hunc vni credatis omnia, qui inter annos tot vnis in-  
uentus sit, quem soci in vrbes suas cum exercitu venis-  
se gaudeant. Quod si authoritatibus hanc causam Qui-  
rites confirmandam putatis, est vobis author vir bel-  
lorum omnium, maximarumq; rerum peritissimus, P.  
Seruilius: cuius tantæ res gestæ terra mariquæ extite-  
runt, vt, quum de bello deliberetis, author vobis gra-  
uior esse nemo debeat . Et C. Curio summis vestris  
beneficijs, maximisque rebus gestis, summo ingenio,  
& prudentia præditus . Est Cn. Lentulus, in quo om-  
nes pro amplissimis vestris honoribus summum consi-  
lum, summam grauitatem esse cognoscitis . Est C.  
Cassius, integritate, virtute, constâta singulari. Quare  
videte

## PRO LEGE MANILIA.

videte, num horum autoritatibus, an illorū orationē  
qui dissentiant respondere posse videamur. Quæ quum  
ita sint C. Manili, primum istam tuam & legem, &  
voluntatem, & sententiam laudo, vehementissimeq;  
comprobo. Deinde te hortor, ut authore populo Rom.  
maneas in sententia, neuè cuiusquam vim, aut minas  
pertimescas. Primum in te satis esse animi constan-  
tiæq; arbitror. Deinde quum tantum multitudinem,  
cum tanto studio adesse videamus, quantam non ite-  
rum in eodem homine praefuiendo vidimus, quid est  
quod aut de re, aut de persiciendi facultate dubitca-  
mus? ego autem, quidquid in me est studij, consilij, la-  
boris, ingenij, quicquid hoc beneficio populi Rom. atq;  
hac potestate prætoria, quicquid auctoritate, fide,  
constantia possum, id omne ad hanc rem conficiendam  
tibi, & populo. Rom. polliceor, & defero, testorq; om-  
nes deos, & eos maximè, qui huic loco, temploq; præ-  
sident, qui omnium mentes eorum, qui ad Remp. ad-  
eunt, maximè perspiciunt, me hoc neque rogatu fa-  
cere cuiusquam, neque quo Cn. Pompeij gratiam mihi  
per hanc causam conciliari putem, neque quo mihi  
ex cuiusquam amplitudine, aut præsidia periculis, aut  
adiumenta honoribus queram: propterea, quod peri-  
cula facile, ut hominem præstare oportet, innocentia  
tecti pellemus: honorem autem, neq; ab uno, neque ex  
hoc loco, sed eadem nostra illa laboriosissima ratione  
vita, si vestravoluntas feret, consequemur. Quamob-  
rem quicquid in hac causa mihi susceptum est Quiri-  
tes, id omne me Reipub. causa suscepisse confirmo: tan-  
tumq; abest: ut aliquam bonam gratiam mihi quæsiss<sup>e</sup>  
videar,

ORAT. CICER. PRO L. M.

videar, vt multas etiam simultates partim obscuras,  
partim apertas intelligam, mihi non necessarias, vobis  
non inutiles suscepisse. Sed ego me hoc honore prædi-  
tum, tantis vestris beneficijs affectum, statui Qui-  
rites vestram voluntatem, & Reip. digni-  
tatem, & salutem prouinciarum atq[ue]  
sociorum, meis omnibus commodis  
& rationibus præferre  
oportere.

FINIS.



*Pud*

*Ergm.*

*metallicus*

58395


(X200 844 2)



# Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------



## ANILIA.

um mari, atq; hæc tria  
nißimis præsidys, classi-  
Italianam recepisset, dua-  
ina, præsidij, ac nau-  
oram Illirici maris, & in  
nauibus, Italiæ duo ma-  
misq; præsidij, adorna-  
rofectus est, vnde quin-  
rium populi Rom. Cili-  
q; prædones fuerūt, par-  
tim vnius huius impe-  
Idem Cretensibus, cum  
legatos deprecatoresq;  
ademit, obsidesq; impe-  
diuturnum, tam longè  
reisgentes, ac nationes  
ctrema hyeme appara-  
estate confecit. Est hac  
imperatoris. Quid ca-  
orare cœperā, quantæ,  
in solum bellandi virtus  
at ore querenda est, sed  
administræ, comitesq;  
innocentia debent esse  
unibus in rebus tempe-  
licitate, quanto inge-  
æ breuiter, qualia sint  
us. summa enim sunt  
x aliorum contentionē,  
et que intelligi possunt.

Quem